



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antonii Avgvstini Archiepiscopi Tarraconensis Dialogorum Libri Duo de emendatione Gratiani

Agustín, Antonio

Parisiis, 1672

XVII. De aliis majoribus erroribus Gratiani ex beati Antonini sententia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10634

DE ALIIS MAJORIBUS ER-
roribus Gratiani ex beati Antonini
sententia.

Dialogus decimusseptimus.

A. QUANTUM ego prævideo, periculum est C. ne hic nobis totum Gratianum de manibus auferat. C. Quid ita? A. Quia hac sola machina beati Antonini adhibita, magnam nostri præsidij partem expugnavit. C. Magis mihi visus est adhuc de re satis nota egisse, quam illi facilè concesserimus, esse apud Gratianum non pauca moribus non recepta aut contrariis constitutionibus abrogata. B. Majora sunt quæ molior. Ostendam enim illum hominem stupidum fuisse, multisque in rebus nihil vidisse. C. Ain verò? B. Audies quid sanctissimus vir de hoc homine dicat. In primis notat, quod etiam Joannes Teutonicus fecit, Gratianum dixisse perplexo inter duo mala, hoc est, peccata, licere minus eligere, idque perpetrare. Atqui nunquam cogitur quis peccare, nec potest esse perplexus necessariò. Ergo falsum est licere alicui minus peccatum eligere. Id confirmat Hieronymi & Augustini & beati Thomæ verbis. A. Quibus verbis utitur Gratianus? B. *Item adversus naturale jus nulla dispensatio admittitur, nisi fortè duo mala ita urgeant ut alterum eorum necesse sit eligi. Vnde in Con-*

*Dist. 13. in
pinc.*

*cilio Toletano 119. cap. 11. sic legitur: Duo mala &c. Item Gregorius in moralibus: Nervi testiculorum Leviathan &c. A. De duobus malis, non de duobus peccatis, Gratianus loquitur. B. At in verbis Toletani Concilij, & beati Gregorij, quibus suam opinionem fulcire nittitur, invenies duorum peccatorum mentionem. A. Illos igitur accusa, non Gratianum. Nam de duobus malis quæ peccata non sint vera est Gratiani sententia. Et præstat amittere brachium quàm caput, & incidere in manus Dei quàm hominum; & his sexcenta sunt similia. B. At postea distinctione XIV. sic Gratianus ait: *Verùm hoc ita in una eademque persona intelligitur. Ceterùm an in diversis eadem dispensatio locum habeat, videlicet ut committamus minora, ne alij gravioribus implicentur, meritò queritur. Non tibi videtur affirmare quod isti dicunt? A. Mihi apertè id dicere non videtur, sed in eam sententiam inclinare, & lectorem eo laqueo induere quo se non facilè liberet. B. Id mihi satis est. (1) Sequitur illud de Presbyteris, ut possint ex consuetudine, si urgeat necessitas, & Episcopi absint, chrismate pueros in fronte signare. Id falsum esse ait post Joannem & beatum Thomam & alios Theologos. Verba Gratiani distinctione xc v. hæc sunt: *Sed istud Gregorij pro scandalo sedando semel concessum legitur. Illud autem Leonis Papa & Gelasij usu approbante prevaluit, nisi fortè ubi aliquorum consuetudo hoc admisit ut in absentia Episcopi, extrema necessitate***

1. Paral. 21.

Dist. 14. iis
prin.Dist. 95. c. 2.
p. 1.

cogente, ex concessione Gregorij, Presbyteri baptizatos in frontibus liniant, prohibitio vero Leonis & Gelasij in eo casu intelligatur, cum Episcopi presentes sunt, vel cum non cogit ultima necessitas. A. Displicent hæc omnia. Namque ordinarij ministri hujus sacramenti sunt Episcopi, ut in Concilio Tridentino dicitur. (2) B. In notoriis sive manifestis non requiri ordinem judicarium a reprehendit Antoninus, quasi non semper verum sit, sed aliquando, ut notat Joannes Teutonicus. Item quod postea Gratianus dicit b: Aliquando evidentia ipsa operis reum esse testatur, quando opere publico crimen suum confitetur. Tunc, post secundam & tertiam correctionem, sine examinatione damnandus est, si incorrigibilis extiterit. Neque enim in his notoriis requiritur admonitio, sive correctio, aut fortè correctio. (3) A. Hæc levia sunt. B. Illud gravius est, quod anathema in verberantes Clericos c interpretatur separationem à sacramentis & ab ingressu Ecclesiæ, non à communionem fidelium d. quod Joannes etiam notat. A. Calumniam mihi patitur Gratianus. Non enim id apertè dicit. Immo inter excommunicationem & anathema prius hanc differentiam statuit, quam ego minime probo; ut anathema sit cum separatur quis à consortio fidelium, excommunicatio cum se quis separat aut à superiore separatur ab ingressu Ecclesiæ & à communionem eucharistiæ, ut pœnitentibus evenit. B. Inconstantia crimen effugere non potest. Quod

22. q. 1. c. 14.
Prohibentur.
in fine. &
cap. 16. Quæ
Lotharius p. 1
bc. 20. Deus.
p. Quando. e.
9.

c17 q. 4. c. 29.
Si quis.

d 11. q. 3. c. 24.
Ad mensam.
p. Evidenter.

Quod enim de excommunicatione dixerat, id de anathemate in hoc crimine interpretatur. (4) Sequitur illud de interpretatione horum verborum Gregorij: *Sententia pastoris, sive justa, sive injusta, timenda est. Contingit, inquit, aliquando ut adulter sententiam pro sacrilegio reportet, cujus reatum in conscientia non habet. Hac sententia, etsi injusta sit, tamen justè ab eo reportata est, quia ex reatu adulterij jamdiu apud Deum excommunicatus fuerat. Et in hoc casu intelligenda est illa auctoritas Gregorij: Sententia pastoris* &c. Hoc & Joannes & Antoninus improbant: qui volunt ut quamvis sit injusta, nisi post appellationem lata sit, vel contineat intolerabilem errorem, à judice suo lata, eum liget, & ab eo servanda sit. A. Servandam esse publicè non negarem; ligare eum apud Deum dubito. Illa tamen Gregorij verba placent: *Qui sub manu pastoris est, ligari timeat vel injustè; nec pastoris sui judicium temerè reprehendat; ne etsi injustè ligatus est, ex ipsa tumida reprehensionis superbia, culpa, qua non erat, fiat.* (5) B. Illud etiam reprehendunt, quòd dixerit Orientis Clericos, qui uxores habeant, habere etiam bona propria posse, quibus uxoribus & filiis consulant; sic etiam his qui in Occidente filios ex legitimo matrimonio habent, sive uxoribus vivis continentiam professis, sive mortuis; non verò licere his Clericis qui ab infantia sacræ militiæ traditi sunt, nisi fortè retinendo sua, à sumptibus Ecclesiæ abstineant. Contrà au-

N

11. q. 3. c. 1. &
c. 77. Non
solum. p. 1.

12. q. 1. ea. 24.
Præcipimus.
p. Sed notan-
dum.

tem illi statuunt omnibus Clericis licere habere propria, nisi eis renuntiaverint, ut regulares, vel qui voto se astrinxerunt paupertatis, vel in primitiva, ut aiunt, Ecclesia, quorum erant bona communia. Hunc errorem in Notis quoque selectorum virorum invenio reprehensum. A. Jure quidem reprehenditur. Sed & Christum Dominum & Apostolos propria bona habuisse declarasse videtur Joannes xxii. duabus constitutionibus e. (6) B. Post hæc, ut imperfectè docens reprehenditur in quæstione, An liceat Clericis in judicio sua repetere f, quòd dixerit licere pro damno vitando, non pro lucro quaerendo, aut pro communibus suarum Ecclesiarum rebus stare in judicio, easque defendere; veriùsque esse eos Clericos qui habere possunt propria bona, posse etiam ea repetere in judicio; alios nomine monasteriorum suorum, si præsumt eis; minores, mandato superiorum. (7) A. Leve etiam hoc est crimen. B. Sequitur illud, quod ex jure civili sumptum est, sufficere bonam fidem in præscriptione triginta annorum initio possessionis, licèt postea quis mala fide possederit g. Mendosè tamen Gratiani locus refertur à beato Antonino, quod etiam in aliis quibusdam accidit. A. Innocentius III. in Concilio generali Lateranensi cap. xli. sic ait h: *Oportet ut qui præscribit, in nulla temporis parte rei habeat conscientiam aliena.* (8) B. Si post votum simplex castitatis jurat quis aliquam ducere uxorem, sacramentum illicitum esse fa-

Cùm inter.
& extra.
Quia quorundam. 10. 22.
f 14. q. 1. c. 1.
p. 1.

g 16. q. 3. c. 15.
Placuit. p.
Præscriptio-
num.
h ca. 3. De
præs. in 4.
collect. & c.
ulr. eo. tit.
Gregorius
IX.

tentur Gratianus & Antoninus. sed servare hoc sacramentum non vetari, pœnitentia de voti fractione indicta, ait Gratianus. quod verum esse consummato matrimonio, Antonino placet. Namque si non consummaverit, prohibetur servare id sacramentum, & peccat, inquit, mortaliter. A. Vide Cælestini III. rescriptum; quod Gratianus videre non potuit. B. Illud quoque post beatum Thomam notat dixisse Gratianum, posse quem jurare ne Clerici tonsuram néve monachi habitum unquam accipiat; ac si juraverit, servandum esse. Illicitum esse jusjurandum eis videtur, & peccasse jurantem, quòd obicem, inquirunt, opposuit Spiritui sancto. A. Verum mihi esse videtur quod dicunt. Sed Gratianus de eo loquitur qui cogebatur à parentibus alterutrum facere, qui sine ullo peccato potuit jurare se id non facturum, invitum scilicet. (9) B. Quod sequitur, omitti potuisset: sed ne quid relinquam, dicam. Gratianum & Joannem Teutonicum notat Antoninus, quòd affirmasse videantur eum qui cogit aliquem falsò jurare, aut exigit ab eo jusjurandum, ita peccare ut is qui pejerat. Sed id verum esse ait cùm scit aut probabiliter credit falsum illum juraturum. Judex quoque exigens sacramentum, juris ordine observato, sive per se, sive parte petente, non peccat, etsi sciat vel credat illum falsò juraturum, ut beatus Thomas scribit. (10) A. Cetera alterius actionis sint.

22. q. 4. c. ult.
p. Unde datur. & p. Est etiam,

ca. 2. Qui cleri. vel vov. in 2. collect. & c. 6. Rursus. e. tit. Greg. IX.

22. q. 5. in prin.

ADDITIONES.

(1) **G**RATIANI verba sunt in editione Romana distin. 13. in principio: *Item adversus naturale jus nulla dispensatio admittitur, nisi fortè duo mala ita urgeant ut alterum eorum necessè sit eligi. Vnde in Concilio Toletano 8. c. 2. legitur Duo mala licet sint cautissimè præcavenda &c.* In margine est: *Ivo p. 12. c. 16. Pann. l. 8. c. 119. Et in Notis: In ipso Concilij capite multa, antequam sequuntur qua perlegenda sunt.* Item dist. 14. in principio Gratianus ait: *Verùm hoc in una eademque persona intelligitur. Ceterùm an in diversis eadem dispensatio locum habeat, videlicet ut committamus minus, ne alij gravioribus implicantur, meritò quaritur.*

(2) Verba etiam Gratiani sunt dist. 95. cap. 1. *Presbyteros. par. Sed istud.* in editione Gregoriana, ut in ipso dialogo relata sunt.

(3) Hæc ejusdem Gratiani verba sunt in eodem libro ante caput 15. *Manifesta. 2. q. 1. Verùm hæc illis intelligenda sunt quorum crimina sunt occulta. Ceterùm qua manifesta sunt, judicarium ordinem non requirunt. Vnde Ambrosius: Manifesta accusationi non indigent.* In Notis additur: *Ivo in epistola ad Hugonem, qua incipit Litteras v. p. sic ait: Manifesta autem accusatione non indigere testatur beatus Ambrosius super epistolam ad Corinthios ita dicens de eo qui cum noverca [Judicis non est, &c.] ut infra c. De manifesta.]* Item cap. 16. *Quæ Lotharius. par. 1. c. q.* hæc etiam Gratiani verba sunt: *In manifesta enim calliditate accusantium non opprimitur reus &c. atque ideo in talibus judicarius ordo non requiritur.* Et cap. 20. *Deus omnipotens. par. Quando autem.* ita Gratianus scribit: *Aliquando evidentia ipsa &c.* ut in dialogo.

(4) Sunt etiam hæc ejusdem Gratiani verba in eodem libro II. qu. 3. c. 24. *Ad mensam. par. Evidenter. Hæc sententia excommunicatio vocatur: qua à communione corporis & sanguinis Christi notatum præ-*

hibet &c. Qua sententia non separatur quis à consortio fidelium. Est & alia sententia, qua anathema vocatur: qua quisque separatur à consortio fidelium. de qua supra. [Cum excommunicatis nolite communicare] &c. Et postea: Iuxta igitur hanc distinctionem intelligenda est illa auctoritas Innocentij Papa secundæ [Si quis suadente diabolo &c.] ut infra in causa [Quidam presbyter.] (in margine est: 17. q. 4.) ut juxta etymologiam vocabuli, anathemati, id est, separationi subiaceat qui in edictum illud incidit, qui à corpore & sanguine Christi & ab ingressu Ecclesiæ se alienum facit, qui impias manus in Clericem (Scribe Clericum) injicere ausus fuerit, qui etiam à nullo Episcoporum absolvi, id est, more pœnitentium reconciliari poterit, nisi primùm apostolico conspectui se representare curaverit.

(5) In eadem causa 11. q. 3. ante cap. 1. verba Gratiani sunt in eodem libro: Sed quòd sententia Episcopi, sive justa sive injusta fuerit, timenda sit, Gregorius homilia 26. in evangelia testatur dicens: Sententia pastoris, sive justa sive injusta fuerit, timenda est. In Notis additur: Ipsa prorsus B. Gregorij verba leguntur infra ead. c. Non solum. vers. Vtrum justè.] Eiusdem Gratiani verba sunt cap. 77. Non solum. par. 1. c. q. Cum ergo sententia ex ordine injusta est, nec tunc ab ea recedendum est: quia etiam antequam sententia daretur in eum, pro qualitate reatus sui ligatus apud Deum tenebatur. Contingit aliquando &c. ut in dialogo. Et postea: Pastor ergo vel absolvere indiscretè timeat vel ligare. Is autem qui se sub manu &c. ut in ipso dialogo.

(6) Gratianus ita in eodem libro scripsisse dicitur 12. q. 1. c. 24. Præcipimus. par. 1. Sed notandum est Episcopos orientales uxores habere & filios, quosdam autem ex nostris partibus, cum in laicatu sive in minoribus ordinibus constituti habeant uxores & filios, sive morte uxoris interveniente, sive continentia pari voto servata, ad sacros ordines accedere. His omnibus conceditur habere propria ad suos & suorum usus. Qui autem ab infantia sacre militiæ traditi sunt, nullo modo eis permittitur habere propria; quia nulla est eis

excusatio proprietatis ; nisi fortasse retinendo sua, & sumptibus Ecclesie abstineant.

(7) Idem Gratianus ait in eodem libro 14. q. 1. c. 1. par. 1. *Prohibetur perfecto in iudicio stare captando lucrum, sed non evitando damnum. Vel aliter. Aliud est sua possidere, aliud est communium procuratorem esse. Canonici non possident sua, quia res Dei oblata non sunt alicujus. Utuntur enim rebus Ecclesie, non ut suis, sed tanquam ad dispensandum sibi creditis &c.*

(8) Verba etiam Gratiani sunt in eodem libro 16. q. 3. c. 15. *Placuit. par. prescriptionum: Bona vero fides non ad tractum medij temporis sed ad initium possessionis refertur. Sufficit enim in initio cuique bona fide possidere coepisse, etiamsi medio tempore scientiam rei aliena habuerit. In margine est: Al. conscientiam.*

(9) Hæc etiam in eodem libro ejusdem Gratiani verba sunt 22. q. 4. c. ult. par. *Vnde datur: Aliquando namque juramento deest justitia; veluti cum quispiam post votum castitatis ducit uxorem, juramento firmans nunquam se ab ea discessurum. quod quamvis illicitum sit, quia justitia sibi probatur deesse, tamen auctoritate Augustini servari precipitur. Et postea: Est etiam id quod juratur aliquando vitiosum, non natura sui, sed ex causis extrinsecis convenientibus; veluti cum aliquis post votum castitatis jurat alicui se habiturum eam in conjugem. Conjugem namque habere, in se ipso malum non est: tamen hinc ex voto perniciosum est. Hoc autem juramentum, etiamsi illicitum sit, non tamen servari prohibetur: sed de violatione voti poenitentia sibi jubetur indici. Et vers. Ex modo: Veluti dum aliquis à parentibus coactus ut clericatus tonsuram vel religionis vestem suscipiat, si neutrum facturum juramento firmaverit. Hoc quamvis aliquibus videatur reprehensibile, quia opus charitatis juramento se non facturum promisit, nulla tamen auctoritate servari prohibetur &c.*

(10) Illa quoque Gratiani verba sunt in eodem libro 22. q. 5. in principio: *Quod autem quinto loco quaritur, si licitum esset quod Archidiaconus juraverat, an Episcopus esset reus perjurij qui ad pejerandum*

Archidiaconum cogebat, facile potest discerni. Si enim consentiens pari pœna cum faciente puniendus est, multo magis ille qui cogit, reus admissi criminis probatur.

DE EADEM RE.

Dialogus decimusoctavus.

C. Quid illud est quod apud Gratianum legitur ex Nicolai responso ad consulta Bulgarorum: *A quodam Iudæo, nescitis utrum Christiano an pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis.* Quo pacto is qui Iudæus erat potuit paganus esse, aut de eo quem certum erat Iudæum esse dubitabatur num Christianus esset an paganus? **A.** Consulisti fontes ejus capitis? Nuper enim prodierunt illa Nicolai responsa. **C.** Consului. Caput est centesimum quartum, non tertium, ut Demochares edidit. Varietas verborum nulla est, neque etiam apud Ivonem Carnotensem *a. A.* In libro Cæsaraugustano *b* inveni *A quodam viro, pro A quodam Iudæo,* scriptum. quod mihi vehementer placuit. Sunt qui putent illum Iudæum natione fuisse, non religione. **C.** Id mihi non fit verisimile. (1) Sed cur magis credendum est huic libro quam fontibus ipsis? **A.** Quia non sunt ipsi fontes, sed fontium imagines. Idem de veteribus libris dicendum est. in quo plerique falluntur. Dum enim putant satis esse, si quid in veteri libro invenerint, referre, etiam ea quæ rectè edita sunt mutare au-

De consec. d.
4. c. 24. A
quodam.

a Ivo lib. 1.
tit. 2. c. 22. pa-
norm. & part.
1. c. 148. decr.
b Cæs. lib. 12.
c. 62.